Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47060
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

Annus Christi 1420 usque ad 1436.

Ioannes Abbas duodecimus.

Anno Christiano 1420. 9 Junii electus est in Abbatem F. Joannes Petrar. de Jmina.
Sedit annos 16 dies 12.
Obiit anno 1436. 21 Junii.
Emit bona pro marcis circiter 40.

S. Pontifex
Eugenius 4. sedit annos 15. m. 11. d. 21.

Caesar.
Sigismundus, qui mortuus est anno 1437.

Comes Tyrolis.
Fridericus. qui anno 1423 ita scripsit D. Abbati Joanni.
Ersamer, geistlicher, lieber, getreuer, andechtiger. Wir lassen dich wissen, das wir vnnd ietz mit sambt vnser lieben Gemaheln hinauf in das veld für Starkhemberg ziehen vnnd ziechen wöllen. Davon so bitten vnnd begern wir an dich mit ganzem ernnste, das du vnnd dein Conuent stäts Gott bitten vnd [illegible], vnnd vmb vns bitten, vnnd bit darauf bethen lassen wöllest, damit wir mit sambt vnser gemaheln vnnd Hofgesind nit gesaumbt werden, sonder so begern wir auch das du vnnd dein Conuent drey fueder weins leichest, vnnd das die auch mit sambt dem brot in das veld füren. Vnd getrauen dir wol du versagst vns nit, noch lassest vns das nit gesaumbt sein, das wir dir das alles mit andern beschulden vnd wir ietz wissen, oder dir das mit barem gelt bezallen wöllen.

D. Georgius Abbas 13 inualide fuit excommunicatus, ab Episcopo Brixinensi quod ad Synodum non comparuerit.

Nicolaus Cusanus Card. 1450–1464

Calixtus Papa 3tius.
Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem. Conquestus est dilectus filius Abbas Monasterii de Stambs Cisterc: Ordinis, quod cum per te uocatus esset ad Synodum, et non comparuisset, circumspectio tua contra ipsum sententiam excommunicationis et aggrauationis protulit. Verum cum dictus Abbas ex priuilegio Ordini suo indulto ad huiusmodi actus comparere non teneatur, et ideo ad Synodum non uenerit; Circumspectionem tuam hortamur in Domino, ut si ita est, et aliud canonicum non obstat, pro nostra, et Sedis Apostolicae reuerentia, super praedictis eum amplius infestare non tentes. Nam uoluntatis nostrae omnino est, ut priuilegia Apostolica praedicto Ordini inuiolata preseruentur. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris 12 Feb. Anno 1458. Pontificatus nostri anno 3tio.

Dilecto filio N. tituli S. Petri ad uincula
S. R. Ecclesiae Praesbytero Cardinali.
Vide H. 13.

Anno 1430 Abbas Joanes in fraternitate nostri Ordinis suscepit Ulricum Haunolt consulem in Kaufbeurn, cum coniuge Ursula.

Annus Christi 1436. usque ad annum 1481.

Georgius Abbas decimus 3tius.

Anno Domini 1436. primo Julii electus est in Abbatem domus huius F. Georgius Ried, alias Koz de Kaufbeuren.
Regnauit annos 45. mensem 1. dies 4.
Resignauit anno 1481. 4 Augusti.
Obiit anno 1483. 10 Julii. Sub Abbate Caes: Leonhardo.
Emit diuersa bona pro marcis 617.

S. Pontifex.
Nicolaus 5. sedit annos 8. d. 19.
Calixtus 3. sedit annos 3. m. 3. d. 26.
Pius 2. sedit annos 5. m. 11. d. 26.
Paulus 2. sedit annos 6. m. 10 d. 29.
Sixtus 4. sedit annos 13. d. 5.

Caesar.
Albertus Austriacus dicti Sigismundi gener. electus fuit anno 1438. Regnauit annos 2.
Fridericus 3. Ernesti Archiducis Austriaci filius, qui electus fuit in Imperatorem anno 1440. Vir insignissimus, de quo plura apud Abbatem 14.

Comes Tyrolis.
Fridericus dictus. qui duas habuit uxores. Prior Elisabetha Ruperti Bauari Rom. imperatoris filia, quae post editam prolem Elisabetham, et statim à recepto baptismo mortuam, et ipsa obiit.
Altera fuit Anna, Friderici Ducis Brunswicensis filia, pietate in pauperes sanè eximia, ex qua sustulit Wolfgangum, Sigismundum, Margaretham et Hedwigem. Reliquis in prima infantia mortuis, solus Patri superuixit Sigismundus.
Mortuus est Fridericus iste anno 1439. cuius corpus in Monasterio Stambs, apud utramque uxorem et liberos, conditum est.
Narratur de isto Friderico, quod aliquoties relicta aula, mutato habitu, ignotus inter rusticos sit uersatus, liberas eorum de praefectis suis, et reliqua nobilitate querelas audiuerit; cuius rei causam esse dicebat, quod aliter uerum de suis audire non posset.
Hoc anno dedit Ordinibus prouinciae Tyrolis testimonium, quod non coganur dare steuras, nisi quod dederint ex bona uoluntate.

Sigismundus.
Friderici filius successit haeres Tyrolis, cuius Fridericus Caesar in Tyrolim profectus, tutelam suscepit.
Anno 1446 Sigismundus tutela Caesaris exemptus, prouinciae suae Tyrolensis gubernacula suscepit.
Anno 1451. confirmauit Tyrolensium priuilegia. Oeniponti.
Quod Idem Sigismundus. 1466. Oeniponti.